



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

10. Iudex quid facere debeat in pari dubio? Ex p. 4. t. 3. r. 40

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

2. Contrariam tamen sententiam docet doctus Vilalobos in summa tom. 1. tract. 1. diff. 26. num. 1. vbi sic asserit. [Quando se duda si el tributo ex iusto, no ay obligacion a obedecer y pagarle porque le duda de iusta posesion, y es interelido el Principe.] Sic ille. qui hanc sententiam in tom. 2. tract. 8. diff. 13. num. 11. intelligit quo ad tributa noua, & citat ibi pro hac opinione Castrum & Atagon, quibus ego addo Ludouicum Carbonem in tract. de restit. quest. 13. vbi sic ait, Antiqua tributa, seu gabellae veteres putari debent iustis, & ita in dubio eas defraudare non licet, cum saltem ad sit praescriptio; nouae vero gabellae, vt sunt pedagia & guidagia, praesertim in rebus ad vsum quotidianum impositae, si manifestam non habeant causam, fraudari possunt. Sic ille. Et hanc sententiam praeter DD. citatos tenet etiam Molina de iustit. to. 3. tr. 2. diff. 27. n. 7. sic asserens. Quando tributa sunt noua, & non constat de illorum iustitia, sed dubitatur an desit aliquid ex requisitis, vt sint iusta, affirmant Doctores non deberi in conscientia, sed posse defraudari modo periuaria & mendacia non interueniant, imò denegari posse cessante scandalo. Ratio autem est, quoniam in dubio melior est conditio populi possidentis; & quoniam eiusmodi noua tributa praesumuntur iniusta, quando de contrario non constat; vnde in c. quamquam, de cens. in 6. dicitur, tributa regulariter esse contra iura tum canonica, tum civilia; & in cap. peruenit, de cens. ait Summus Pontifex, necesse esse scire prius causam, propter quam census sit solvendus, quam solvatur. Quod si subditis causa tributi alicuius reddatur, & de iustitia illius dubitent, necesse est vt consulant peritos, debentque adhibeant diligentiam ad iustitiam, vel iniustitiam illius indagandam, ne forte Principem priuente debito tributo; interim tamen dum de iustitia causae illius non constat, non tenentur in conscientia soluere id tributum. Haec omnia Molina, qui citat Caietanum, Angelum, Syluestrum, Gabeleum, & Medinam, & tandem hanc sententiam tenent etiam nouissimè Filliucius tom. 2. tract. 28. pari. 2. c. 7. n. 117. & doctus P. Ioan. de la Cruz in direct. conscientie pari. 1. q. 7. art. 3. dub. 1. concl. 2. vbi respondet ad argumentum, quod in dubio praesumendum est pro Rege, dicit enim hoc debere intelligi, quando non agitur de interesse ipsius Regis, vt est in casu de quo loquitur.

RESOL. IX.

An in dubio priuilegium censendum sit reale, vel personale? Et notatur, quod si tibi possidenti priuilegium vt reale suboritur dubium, an sit personale, & diligenter re examinata dubium vincere non possit, reale esse poteris reputare? Etiamque quaritur, an in dubio si priuilegium est reuocatum, praesumatur reuocatum? Ex p. 4. tract. 3. Ref. 51.

§. 1. Aliqui censent reputandum esse priuilegium personale, sic relato Decio tenet Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 27. num. 4. & alij, quia duplici praesumptione concurrente, alia specialis, alia generali, praevalet specialis, vt ex multis docet Menoch. de arbit. lib. 2. cas. 472. n. 14. Sed personalis praesumptio magis specialis est, quam realis. Ergo pro personali in casu dubio standum est. 2. Alij verò, quod mihi probabilis videtur, distinguunt. Si priuilegium est omnino fauorabile, quia nec iuri communi, nec iuri tertio contrarium est, reputari debet reale in casu dubio, & extendendum est. Ita Basilus Pontius de matrim. lib. 8. c. 18. §. 1. n. 7. Suarez de legibus lib. 8. c. 3. n. 18. & alij, quia beneficium Principis late est interpretandum, ex l. vlt. ff. de consit. Principum.

Verum si priuilegium iuri communi deroget tantum, etsi plures Doctores sentiant late interpretandum esse, ac proinde vt reale iudicandum: at merito Positius, & Suarez locis citatis, sentiunt limitandum esse, & personale iudicandum. Ratio desumitur ex .i. §. ille vero, de filiis presbyter. in 6. vbi ea de causa restringitur dispensatio, quia à iure communi exorbitat. Si autem priuilegium praeter ius commune sit, vergit tamen in prauidicium alterius, ea parte qua in prauidicium vergit strictè est interpretandum, ac reputandum personale, & non reale, si prauidicium tamen sit graue.

3. Nota etiam hic, quod si tibi possidenti priuilegium vt reale, suboritur dubium an fuerit personale, & re diligenter examinata dubium vincere non poteris, reale esse poteris reputare, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Et omnia supradicta, ne in aliena vitula arate videar, docet Castrus Palais tom. 1. tr. 3. disp. 4. punct. 2. §. 1. num. 6. & 8. cui ego addo Georgium Cabedum pari. 2. de cis. 3. n. 4. vbi tamen tenet sine vlla distinctione quod priuilegium in dubio praesumitur personale, licet absolute contrarium doceat Tapia de consit. Principum, c. 1. part. 3. n. 31. vbi asserit in dubio priuilegium potius praesumendum esse reale, quam personale.

4. Notandum est etiam hic obiter, quod in dubio priuilegium non praesumitur reuocatum, & ita docet Parisius lib. 2. cons. 61. n. 21. Alciatus resp. 19. n. 4. & alij, quos citat, & sequitur Antonius Sanctarellus in var. resol. to. 1. q. 16. n. 11.

RESOL. X.

Index quid facere debeat in pari dubio? Ex p. 4. tract. 3. Ref. 20.

§. 1. Dico primò existente pari dubio iuris vtriusque partis, ita vt index omnino sit pendulus, teneri possidenti fauere, nec ipsum posse cogere, vt partem relinuat, quia ius retinendi habet possidens in hoc dubio.

2. Dico secundò in eodem dubio, si neuter possidet teneri iudicem inter vtrumque diuidere, quia aequum est vtriusque ius. Sed Petrus Ledefina de matrim. quest. 45. art. 1. dub. 2. ad 3. prima sent. docet rem indiuiduam posse iudicem applicare cui voluerit, vt duobus aequè dignis petentibus beneficium, potest Episcopus eligere quem maluerit, quia indiuiduum est. Sed hoc impugnat ex Sanchez Ioannes Salas in 1. 2. tract. 8. disp. nica, sect. 23. n. 240. quia lex iustitiae petit, vt in hoc dubio res illa sorte distribuatur, vel vni res, alteri verò dimidium aestimationis conferatur; ergo iudex, qui est iustitia animata, eiusque minister, sic tenetur facere; nec est simile de beneficio, quia nullus illorum, cum neutrius sit, habet ius aliquod iustitiae etiam distributivae vt si bi conferatur; sed haec iustitia dicit vt alteri illorum detur: in nostro autem casu vterque habet ius communitatiue iustitiae, vt inter eos diuidatur. Ita Salas; & de hac quaestione vide Io. Valerum in differenti. vtriusque fori, ver. opinio, differ. 3. Tulchum ver. medium concl. 170. Homobonum in consult. cas. cons. c. pa. 7. resp. 26. vol. 2.

RESOL. XI.

An aduocatus non solum in causa probabili, sed etiam in causa dubia possit patrocinari? Ex p. 2. tr. 13. Ref. 6.

§. 1. Mego posse affirmo cum Maldero in p. 2. q. 19. art. 5. disp. 86. asser. 8. in fin. & Lorca in p. 2. v. o. disp. 39. q. 1. memb. 2. vbi ita asserit. Non solum quando sunt probabiles

Sup. hoc supra in tr. 1. Ref. 21. §. Nota, & lege eam per totam, & si vacas ocio etiam ref. eius annotationum; & doctrina replueris pro alius contingitibus circa hoc. & infra in tr. 7. lego doctrinam §. vlt. ref. 4. quomuis in aliquo distat ab hac quaest.